



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Cap. XXI. Friderico filio mortuo Henricus & Margarita condunt Viennae domum Trinitariorum; & uxor Friderici, ductu Waltheri Meisenburgij, fit Sanctimonialis Ordinis Cisterciensis. Henricus & ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11873

qui confestim tunicam ei candidam induerent, palliumque nigrum & promissum circumdarent. Hoc habitu ipsa mox, elatâ clarâque voce, modis solemnibus in hanc verborum formulam concinnuit: *Regnum mundi & omnem ornatum seculi contempsi, propter amorem Domini nostri IESU CHRISTI, quem vidi, quam amavi, in quem credidi, quem dilexi. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Sic præcinenti Sanctimonialium chorus suavissimè succinebat; donec ad se deductam Yolandam accepere intrâ sua septa, ubi impofterum triginta quinque annis seclusa permansit.*

CAPUT XXI.

Friderico filio mortuo Henricus & Margarita condunt Viennæ domum Trinitariorum; & uxor Friderici ductu Waltheri Meisenburgj fit Sanctimonialis Ordinis Cisterciensis. Henricus & Margarita Trinitarij Viennensibus varia donant, & rebus suis se abdicantes, ille proficiscitur in Palestinam, hæc fit Sanctimonialis ad MARIÆ Vallem, ubi Yolanda virtutibus efflorescit.

H Atenus res gestas Yolandæ Hermannus summa diligentia prosecutus, hic narrationis filum abrumpit, addita tantùm aliqua virtu-

tum eius commemoratione. Itaque quid Margarita, quid cæteri, qui confluxerant, postea egerint, quisvè sit huic cerimonix impositus finis, & cætera huiusmodi, in obscuro sunt. Fortè ea quoque Hermannus attigerat, sed truncato infelici casu membraneo eius codice, perierint: Itaque cetera deinceps, quæ Yolandam attinent, ex probatis veterum monumentis explebo, additis quæ Hermannus memoriæ tradidit.

Principiò, etsi dubium non est, pios Yolandæ parentes, Henricum & Margaritam, oblata Deo tantâ devotione ~~unicâ~~ filiâ promeritos, ut virtutum magna imposterum facerent incrementa, id ipsum tamen eventu magis patuit. Siquidem haud multo post Yolandæ in cœnobium ingressum, Frederico filio iam mortuo, Sodalibus redemptionis captivorum, quos Trinitarios vocant, sedem Viennæ stabilem dederunt, attributâ domo hospitali à se conditâ. Qua de re in arca lignea est tale apud Viennenses Trinitarios monumentum, litteris opere vermiculato efformatis.

FRATRES ORDINIS S. TRINITATIS
ET REDEMPTIONIS CAPTIVORUM
IN HOSPITALI DE VIENNA RECEP-
TI SUNT NONO KAL. IUNIJ ANNO
M. CC. XLVIII. A. COMITE HENRICO
ET MARGARETA CONIUGE ET
PHILIPPO PRIMOGENITO EORUM.

Addidere redditus parœciarum Mettendorfianæ
& Daleidianæ, tabulis donationis hisce conscrip-
tis.

Henri-

Henricus & Margarita Comitissa Viennensis, universis
presentes litteras visuris, cognoscere veritatem
ne labantur cum tempore, debent scriptura munimine ro-
borari. Hinc est quod universitati vestrae dignum duximus
significandum, quod nos divinitatis intuitu, in nostrorum
remissionem peccatorum, dedimus & concessimus vi-
ris religiosi, fratribus ordinis Sanctae Trinitatis & cap-
tivorum, hospitale, quod edificavimus in Vienna, & pro
ipsorum fratrum ibidem commorantium & pauperum su-
sustentatione, dedimus & concessimus eidem hospitali eccle-
sias de Meitendorf & de Daleiden, quarum presentatio
ad nos pertinere dignoscitur pleno iure, quando eas vacare
contigerit, pacifice, sicut investiti eas hactenus habuerunt,
possidendas. Et per hoc tenebuntur dicti fratres capellae ca-
stri nostri Viennensis in divinis per unum fratrem Presby-
terum deservire, prout nobis & nostris heredibus competet
expedire. Quia vero fratres predicti in subsidium capti-
vorum pro fide Christiana a paganis detentorum bona sua
tertiare tenentur, statuimus & volumus, quod dictarum
ecclesiarum redditus & proventus a tempore earum vaca-
tionis, & dictorum fratrum perceptionis, integre, ante
quinqueniū nullatenus tertientur, ut earum pars tertia
in usus fratrum & pauperum predictorum, & maxime
ad predicti hospitalis aedificia convertantur. si vero, quod
absit, contingeret prae-nominatos fratres in hospitali saepe
dicto non velle commorari, ecclesiae saepe dictae memorato
hospitali, si ibidem de nostro vel heredum nostrorum con-
sensu vigeret religio, remanerent, similiter ad nos & no-
strorum presentationem reverterentur pleno iure. Hac
autem ex certis scientiis, de proborum & discretorum con-
silio,

filio, Philippi nostri primogeniti, & aliorum heredum nostrorum assensu plenario, duximus statuenda. Volumus autem, ut fratres prelibati anniversaria nostra & filiorum nostrorum, scilicet Friderici & Philippi, in ecclesia dicti hospitalis in perpetuum tenebuntur celebrare, & pro nobis, cunctis heredibus nostris.

Datum anno domini M. CC. XLVIII. Mense Iunio. Trinitarij, porrò Viennenses à maioribus traditum habent, Henricum patris sui, in Palæstina olim capti, & à Trinitarijs liberati memorem, aut spontè sua, aut ex testamento patris, hanc eis sedem dedisse. Anno eodem Arnoldus Trevirorum Archi-Episcopus hospitali cœmeterium attribuit, tabulis Nonis Iunij conditis. Domui autem cœptæ primus minister datus Drugo, idem & minister domus de Monte Salutis Layerijs, cuius diligentia novæ domus opera ita provecta sunt, ut anno sequenti M. CC. XLIX. 5. Nonas Maias templi ara maxima cum cœmeterio dedicata sint ab Henrico Episcopo Osiliensi. Erat is Trevirensis Archi-Episcopi Suffraganeus, ut ex veteribus tabulis tradit Christophorus Browerus.

Ceterùm Friderico Henrici filio, ut dictum est, antè patrem mortuo, superstes uxor eius iuvencula, hortatu Waltheri Meisenburgij, nec dubium quin & Yolandæ glossis suæ exemplo, spretis rebus caducis ordini Cisterciensium sese adiunxit. Rem ita Thomas Cantipratanus memorat

morat ipsum narraſſe Waltherum. *Simile quid accidit mihi, ut cum illam nobilem iuvenulam, relictam Friderici comitis de Viennâ, à ſeculo revocaſſem, & ad Cisterciensem Ordinem adduxiſſem; illaque primò graviffimis pulſaretur demonum inſultibus; viderem, quod diabolus à dextris eius ſtabat, & eam ad ſe fortiter trahere conabatur. Ego autem ex adverſo ſtans, & eam ad voluntum retrahere non valens, clamavi audientibus fratribus, qui mecum erant: Benedictus IESUS fructus ventris tui. Nec mora iuvenula liberata eſt, & in Ordine perſiſtit, ut Abbatiffa effecta ſit, & cuſtos collegij virginalis.*


Hæc Cantipratanus ex narratione Waltheri, tempore rei geſtæ non addito. Sed credibile, haud diu poſt Friderici mortem hæc facta. Siquidem liber de Apibus, in quo Cantipratanus iſta memorat, abſolutus ab eo eſt ſub annum M. CC. LXIII, quo tempore coniux illa quondam Friderici iam agebat cœnobij Antiftitam; quod fieri vix potuit, quin Fridericus vir eius multò antè deceſſerit, ut ipſa tum quoque rebus eaducis iuvenula nuntium remiſerit.

Nec ambigam Henricum & Margaritam Yolandæ parentes, ex filij Friderici morte, ſuæque nurus rerum labilium contemptu, tantò etiam magis incitatos ad virtutem, imitandaque tam illuſtria liberorum exempla. Et erat ad manum nota pietatis exercendæ materia, quam condiderant, Trinitariorum domus. Anno itaque M. CC. LII. Mense Julio, patribus Trinitarijs, probante Philippo filio, donavêre piſtrina Viennensia cum vineis,

vineis, alijsque rebus. Tabulas ex autographo meâ scripsi manu tales.

Henricus comes, M. comitissa, & PH. eorum filius Vien. universis presentem paginam visuris salutem in Domino sempiternam. Ad vestra volumus universitatis notitiam pervenire, quod nos divina pietatis intuitu, de communi nostro assensu & voluntate, contulimus in elemosynam domui & fratribus hospitalis Vien. ordinis S. Trinitatis & captivorum, omnia iura clibanorum Vien. vineam, quæ est intrâ viam, quæ ducit apud Rode, quæ Padem vocatur, & aquam inferius fluentem, quæ vocatur Owre, & terram, quæ vocatur Berlynseit, quam à Marfilio emimus, perpetuo eo iure & eisdem usibus, quibus hæc omnia prædicta hæctenus possedimus, tenendam & possidendam. Præterea contulimus eisdem fratribus viginti solidos Trevirenses de censu nostro Viennensi, in die B. Thomæ Apostoli perpetuo percipiendos annuatim. Statuimus etiam, quod dicti fratres ex illis viginti solidis administrare tenebuntur oleum duabus lampadibus, quarum una erit in capellâ Vienn. castri, cuius altare in Beate **MARIÆ** Virginis honore consecratur, & altera in hospitali prænominato. Quia verò fratres prædicti ordinis, in redemptionem captivorum pro fide Christianâ à Paganis detentorum tertiam partem bonorum suorum mittere tenentur, statuimus & volumus, quod clibanorum & aliarum rerum prænominatarum reditus & proventus, nullatenus tertientur, sed semper in usus fratrum, hospitum, lampadum, & ad ædificia dictæ domus convertantur. In cuius rei testimonium nostra sigilla presentibus duximus apponenda. Actum & datum Vienn. anno Domini millesimo

lesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, mense Julio,
presentibus Roberto de Exe, domino Ioffrido de Welx,
Henrico de Hoxleden, Gerardo de Herpeldengen militibus,
& multis alijs & ecclesiasticis & laicis, ad hac specialiter



His tabulis ceræ tres appendent, quarum primæ & secundæ imaginem, sed intra spatium multo minus contractam, hic posui, ut Yolandæ parentes vel in effigie cerneres. Est enim illa Henrici, hæc Margaritæ, prætermisâ eâ, quæ est filij eorum Philippi. Henrici sigillum gentilitijs Viennensium Comitum insignijs, tùm in parma, tùm in equi strato conspicuis, adornatur. Eadem insignia aversæ ceræ impressa sunt, quod *Secretum* vel *clavem Sigilli*, interdum etiam *contra-Sigillum* appellabant. Cera autem Margaritæ habet eius effigiem, forma matronæ principis, & parte aversa insigne patrum gentis Curtiniacensis. Sigillum Philippi itidem, ut patris eius, est equestre cum hoc titulo

S. PHILIPPI DE VIENNA DOMINI DE
DASBERCH.

Sed observatione dignum est, quod equi eius tegumentum caret Viennensium Comitum insignijs, positus eorum loco Namurensibus, quæ in aversa quoque cera spectantur cum titulo

CLAVIS SIGILLI.

Scio non perseverasse semper avita olim in una gente insignia, sed certis interdum de causis mutata à posteris, suntque eius rei plurima in antiquitate exempla, & inter ea Godefridi filij Philippi nostri, qui Viennensi parmæ Grimbergensem postea substituit, ut in loco referam. *Credibilis*

dibilius tamen, Philippum, patre vivo, insignia maiorum paterna aut reverentiæ causa præferre noluisse, aut moribus prohibentibus non potuisse, ac proindè symbola usurpasse materna comitum Namurensum.

Dasberga porrò arx est vetustissima ad Uràm fluvium, leucis suprà Viennam fermè duabus, quam clientelari nomine à Prumiensi cœnobio prisce Viennæ Comites tenuère, tenentque hodiè eorum posterì Auriaci Principes.

Tandem Henricus & Margarita, largiendo hominibus Deo sacris, offerendoque eis suosmet liberos, velut præstructo ad celsiora virtutum opera gradu, eidem Deo se totos dediderunt, abdicata Vienna omnibusque bonis. Henricus quidem cruce signatus in Palestinam ad bellum sacrum profectus est, ibique mortuus ac sepultus, ut Gramajus, aliique tradunt. Annum mortis eius non invenio. De die, ita in ephemeridibus mortualibus **MARIAE Vallis.**

XIII. Kal. Decembris, obiit Henricus Comes Viennensis, de quo habuimus XX X. libras.

Hâc die conventus ad piranciam de bonis in Noortzingen XX. Solidos.

Margarita autem in Cœnobio **MARIAE Vallis**, quod antea tantopere detestata fuerat, Sanctimonialem se Deo dedicavit. Et quidem iam anno M. CC. LIII. rebus suis abdicatis, Philippo filio eas tradidisse, patet ex tabulis Philippi autographis, eo anno, mense Februario, scriptis, quibus

quibus Trinitarijs Viennensibus donat silvas Darenbachiam & Kincenbachiam. Ita enim ibi habetur: *Actum publice coram nobili & carissimâ matre nostrâ Margaritâ quondam Comitissa Viennensi.*

Interim Yolanda ad MARIAE Vallem præclara quæque edebat omnium virtutum exempla. Hermannus hæc pauca commemorat. Mira eius erat in communibus vitæ cœnobiticæ munij alacritas. Vigilare, ieiunare, laneis vestiri, nocte media consurgere, egere, pasci tenuiter, magnoperè ei iucundum. Disciplinæ summus amor, summumque studium: otij perpetua fuga. Aut enim nebat, aut legebat, aut fundebat preces, lacrymis frequentissimè mixtis. Somnum ferè nullum antè nocturnos sodalium hymnos atque cantum capiebat. Tùm, dato ad ea signo, modico spatio decumbebat, ut ab excitante virgine inventa, somni capti specie quadam falleret. Mox ad ædem sacram convolans, ibi iam concinendo, iam precando aut legendo, ceteris aderat. Hymnis finitis, loco secreto cum Deo agebat, quoad non raro præ lassitudine obdormisceret. Hæc privata interiorque vitæ eius ratio: at cum hominibus agendo, gratia, caritate, benevolentia omnium sibi devinciebat animos. Evocata sæpe ad cancellos, aut à mœrentibus, aut à consilij inopibus, illorum levabat dolorem, hos monitis sapientibus instruebat. Nec aditus ad eam difficiles, sed erat omnium horarum; moribus etiam se aptare peritissima, lætam atque tristem

stem, perindè ut res posceret, se præbebat. Nemo ab ea recedebat, nisi seipso melior.

CAPVT XXII.

Thomas Cantipratanus inuisit Yolandam.

Hac fit Priorissa ad MARIÆ Vallem, Inuisitur à suo fratre Henrico Episcopo Traiectensi. Curat verti in linguam Germanicam leges ordinis D. Dominici.

HIs studijs deditam Cantipratanus, suffraganeus Camaracensis Episcopus, vir in ordine D. Dominici non minus scriptis, quam virtute his temporibus illustris, coram vidit. Et quanquam ubi viderit, non commemorat, credibile tamen vidisse ad MARIÆ Vallem, tùm quod Yolandam claustris cœnobij egressam leges eius ordinis haud facilè patiuntur, tùm quod Cantipratanum Treviris fuisse constat. Et verò in Belgium redeuntem, vel Treviros proficiscentem, hâc rectum ducebat iter. Quanquam causæ satis Cantipratano adeundæ MARIÆ Vallis erat ipsa Yolanda, digna quam cerneret vir rerum memorabilium sui temporis tam diligens indagator, ut fassus ipse sit, explorandæ rerum gestarum veritati maxima se non rarò fecisse itinera. Fuit autem Treviris anno M. CC. LVI. ut scribit libro II. de Apibus, cum vi ventorum atque